



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XII. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

us percipiunt, vg. pro ejus fabrica, necessariis sumptibus aliunde omnino deficientibus, reparanda vel conservanda, vel pro erigendo Seminario, Ecclesie idoneos clericos cum tempore subministrato &c. quò casu contra minorem partem contradicentem, ut portio aliqua reddituum singulis detracta ad illud applicetur, à majori Capituli parte decerni posse, decisum *e. cit.* & ratio est partim; quia Ecclesiastici redditus canonicis assignari videntur cum obligatione seu onere à SS. Canonibus adjecto; ut, quando id necessitas exigit, ad reparationem suæ Ecclesie istiusque bonum aliter promovendū concurrant, Panormit. *in c. cit. n. 7.* & Barbosa *n. 2. § 4.* partim verò; quia etiam in statu Politico, vg. in Imperio Romano Imperator cum consensu majoris

partis Principū ac Statuum imponere potest collectas pro subeundis communibus Imperii necessitatibus à singulis Statibus solvendas, Engel *ad hanc Rubr. n. 13.*

Secundus est, quò à majori parte in præjudicium minoris decernitur aliquid ad opus etiam pium, sed extraneum sive ad Ecclesiam vel Capitulum non multum spectans: quò casu pars minor vel etiam unicus ex ista se opponere & decretum impedire potest, singulare suum interesse prætendendò, juxta Regulam *cit. Panorm. in c. cit. n. 4.*

Tertiò, simili modò pars major decernere aliquid non potest in præjudicium minoris contradicentis, de bonis singulorum patrimonialibus vel quasi, sive aliunde quàm Ecclesie intuitu quaesitis, Fagnanus *in c. 1. cit. n. 13.*



TITULUS XII.

Vt Ecclesiastica Beneficia sine Diminutione conferantur.

Vacantium Ecclesiarum & Præbendarum Collationibus ad superiores declaratis, ad præsentem Rubricam addendum aliquid est de Reservacione Fructuum & de Pensionum impositione.

ARTICULUS 1.

De Reservacione Fructuum Beneficii vacantis.

SUMMARIUM.

1. Beneficium conferri simul nequit clericis duobus.
2. Neque ejus vacantis fructus applicari aliis.
3. Vel ab Episcopo cum Capituli consensu sua.
4. Vel Capitulari mensa reservari.
5. Immemoriali consuetudine aliquando aliud permittente.

Cum Beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.* ne, reservatis aut diminutis redditibus,

Bb 2

titibus,

ditibus, beneficio respondens officium siue ministerium Ecclesiasticum minuatur vel omnino extinguatur, illius collatio secundum Rubricæ nostræ Regulam faciendâ est sine diminutione.

Quare Episcopus Imprimis idem beneficium conferre nequit duobus, *c. Majoribus 8. & c. Vacante 26. de Prob. & dignit.* nisi rationabilis causa exigat divisionem, & tot ejus sint proventus; ut ad congruam sustentationem duobus sufficiant, *c. cit. in fine.* Deinde beneficiorum collationem, ut fructus interim ipse percipiat, differre, *arg. c. Extirpanda 30. §. fin. ead. Rubr.* Et demum, tam ipse quàm collatores alii, beneficia conferendâ, & patroni ad eadem clericos presentandâ ex iis provenientes fructus omnes vel eorum partem aliquam sibi aut consanguineis vel amicis suis applicandâ, reservare prohibentur, *c. cit. c. Unico bic & c. Prohibemus 7. de Censibus.* Imò, si eos exigerent pro collatione, hæc simoniaca & omnino irrita foret, *c. Unico cit. §. Sed credimus, c. Clerici 6. & c. fin. de Paenit. Panormit. in c. Unico. cit. n. 4. Vallenf. de Benef. Lib. 2. Tit. 6. à n. 1. & Pirring ad hanc Rubr. n. 2.*

Quin de Jure beneficia non solum integrè conferenda, sed ex iis etiam vacantibus collecti fructus aservandi & successoribus restituendi sunt, *c. Cum Vos 4. de Offic. Ordin.* nisi ut, qui vacationis tempore ex prælaturis proveniunt, *c. Quia sepe 40. de Elect. in 6.* eorum pars aliqua applicanda sit fabricæ & in Ecclesiæ utilitatem convertenda: vel ex Consuetudine loci, in quo clerici de bonis Ecclesiæ intuitu quæsitis restantur, iisque intestatis proximi consanguinei succedunt, omnes dividendi sint inter beneficiati hæredes & successorem, *arg. Extravag. 2. pr. Joan. XXII. de Elect. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 15. n. 12. Mo-*

lina Traff. 2. de J. & J. disp. 365. n. 7. & Gonzalez in c. Cum Vos cit. n. 7. Unde

Dubium oritur, an Episcopus vacantium beneficiorum fructus aut ipsorum partem aliquam sibi valeat reservare. Quod in *c. Unico. cit.* affirmant Glossæ *fin.* Innocentius à n. 6. Imola n. 27. & Interpp. alii apud Barbofam *ibid.* n. 102. non dissentientem. Ratione eâ præcipue nituntur; quòd Episcopus, capitulo sui consensu accedente & iustâ causâ suadente, beneficium aliquod valeat omnino & in perpetuum extinguere, *c. Cum accessissent 8. de Constitut.* Cur non etiam alius cujus beneficii pinguioris redditus eorumve partem ad tempus tantum reservare? *Qui enim licet, quod est plus, usque etiam licet, quod est minus,* Regula est *§. in 6.* quæ vel maximè locum habet, quando, ut hic, minus in majori permisso continetur, *arg. c. Ex parte 27. de Decimis l. Nec in ea 22. ff. ad L. Jul. de adult.*

Verùm, quia *c. Cum accessissent cit.* relatam Primiceriatûs extinctionem à sede Apostolica confirmatam, ipsò ejus textu exprimitur, leve est, quod in rem præsentem ex eo ducitur argumentum. Unde verisimilius Panormit. *in c. Unico. cit. n. 20.* vacantis beneficii fructus etiam cum capitulo consensu ad tempus sibi reservandi potestatem Jure communi Episcopo competere, negat & desumit partim ex *c. Tua nobis 32. de V. S.* cujus casu refertur, impetratum à sede Apostolica privilegium, vi cujus vacantium diocesis suæ beneficiorum fructus Episcopus ad solvenda debita per biennium potest retinere: quò privilegio opus non fuisset, si id Jure communi Episcopo tempore licuisset; cum quod Jure permissum est, frustra precibus impetretur, *l. 1. C. de Thesaur. partim ex Clement. 2. de Rebus Eccles. alien.* quâ beneficium aliquod suæ vel capitulari mensuræ unire, capitulo con-

sensu accedente, Episcopus non permittitur. Quos textus, etsi priori de reservatione fructuum omnium diocesis beneficiorum vacantium: posteriori de perpetua unione sermo sit, in rem presentem non male allegari, evincit ejusmodi unionis Episcopo non permittæ ratio, à Glossa Clement. cit. V. Mensa sua reddita; quod Episcopus in proprio suo facto, hoc est, in unione, ipsius commodum & utilitatem concernente, auctoritatem præstare non possit, arg. l. 1. §. l. Pupillus §. ff. de Aurb. cur. Quæ ratio etiam militat adversus unionem temporalem, & fructuum, non ex omnibus, sed aliquibus imò unico tantum beneficio provenientium, sibi factam reservationem.

Neque ejus rationis vim enervat; quod pupilli rem emere, ac proinde in facto proprio auctoritatem præstare, dummodo id palam faciat, tutor permittatur, l. Pupillus cit. §. 4. quia, etsi ipsius §. dispositio locum habeat in contractu oneroso, ut est emptio, venditio; quod in eo palam celebrato cesset causa suspitionis: ei tamen locus non est in gratuita donatione, ut est collatio beneficii; cum in ista fraudis suspicio semper sit, quoties fit ad propriam utilitatem. Panormit. l. cit.

Quare, ut cum isto Interprete Pirrhing ad hanc Rubr. n. 4. infert, licet Episcopus, necessitatis aut magnæ utilitatis causâ exigente, cum capitulo suo statuere valeat; ut alicujus vel plurium beneficiorum vacantium redditus ad tempus reserventur; & necessariis sumptibus aliunde deficientibus, ad Ecclesiæ Cathedralis fabricam restaurandam, solutionem debitorum, in Religiosorum sustentationem vel alium pium & publicum usum impendantur, juxta c. Unic. cit. §. Si verb. statuere tamen cum illo nequit; ut suæ vel capitulari mensæ applicentur: sicut in istius utilitatem reservare de jure ne-

quit certam partem fructuum ex pingui beneficio provenientium aut illi beneficio aliquod unire: licet cum ejusdem capituli sui consensu, ut illorum pars aliqua fabricæ restorationi cedat, & illud alteri beneficio uniatur, statuere possit, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 4. & Panormit. l. cit. n. 19. advertit Laiman Lib. 4. Tract. 2. cap. 18. n. 4. quod, reservatione & unione suæ vel capitulari mensæ facta, ipse vel capitulum in proprio suo facto auctoritatem præstaret.

Dixi, jure communi; quia teste cit. Laiman tract. 10. cap. ult. n. 46. ex immemoriali Consuetudine in quibusdam Episcopatibus hodie quoque primi anni fructuum nomine portio aliqua Episcopo ad ejus proventus augendos solvitur, ad eum ferè modum, quò Annatas Papæ solvi, dictum est Tit. 5. à n. 145. cujusmodi novæ exactionis introductio, & auctio veteris, etsi consentanea non sit §. Si verb. cit. & decreto Trident. Sess. 24. cap. 14. de Ref. ejusmodi fructuum detractiones prohibentis, Laiman tamen cit. n. 43. hoc Concilii decretum non ubique receptum ait: & Pirrhing cit. n. 4. non satis constare existimat, an non eò illæ tantum detractiones reprobatae sint, quæ speciem referunt Simonia; quod ipsius collationis vel institutionis intuitu fiant.

ARTICULUS II.
De Pensionis impositione.

SUMMARIUM.

- 6. Pensio constituitur in beneficio alieno.
- 7. Alia Temporalis, alia Ecclesiastica est:
 - Bb 3
 - 8. Eccle-

8. Ecclesiastica beneficio subrogatur.
9. Beneficium tamen propriè non est:
10. Nisi in titulum perpetuum conferatur.
11. Pensionem Papa imponit,
12. Ex justa & vera causa.
13. Episcopus eam pro bono pacis & concordie,
14. Imò ex aliis etiam, sed veris ac probatis causis imponit.
15. Pensiones esse debent moderate,
16. Et, ab Episcopo imposita, tertiam partem fructuum non excedere.
17. Idem pensionem ferè ad solventis:
18. Aliquando etiam ad percipientis vitam imponit.
19. Beneficium tamen non confert sub ejus solvenda pacto.
20. Pensio incipere non potest ex conventionem partium:
21. Si Ecclesiastica sit & spiritualis.
22. Laicus Temporalis:
23. Non etiam Ecclesiastica pensio:
24. Neque istius clericus 14. annis minor est capax.
25. Imponenda est cum consensu beneficiati,
26. Atque etiam patroni beneficii:
27. Nisi irrationabiliter contradicat.
28. Pensionarius tenetur ad recitandum Officium B. V.
29. Et deferendum habitum ac consuetudinem clericalem,
30. Et ad portanda beneficii onera propria fructuum.
31. Nisi ejus pensio specialiter sit exempta.

6. **P**ensio, sic dicta à verbo *Pendo*, est Jus percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno, sive ad tempus sive in perpetuum concessum: cujusmodi jus, quia non ob spirituales tantum, sed ob

temporalem etiam causam concedi potest & aliquando solet, Pensio aliqua spiritualis & Ecclesiastica, alia Temporalis sive Laicalis est: quarum ista conferri potest laico, vg. Ecclesie patrono in recognitionem fundationis, defensori, economo, procuratori, ædituo, cantori & similibus Ecclesie ministris de eade bene meritis in remunerationem laborum: ista in pensionario sive eo, cui conceditur, exigit statum Clericalem & ferè intuitu officii sive ministerii spiritualis confertur, vg. Episcopi Coadjutori, parochi vicario vel cooperatori, concionatori, Ferè, inquam: non *Semper*; quia aliquando ob aliam causam assignatur, vg. parochi seni aut alteri clerico pauperi ad necessariam vel commodiorem sustentationem: vel ei, qui pingue beneficium pro tenui permutavit, in favorem alterius resignavit, lite beneficiaria cessit, Azor p. 2. Instit. lib. 8. cap. 5. q. 1. & Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 18. n. 2. De Ecclesiastica

Dubium est, an sit beneficium, aut saltem veniat hujus appellatione; quod cum Barbatia in c. *Ad audientiam* 21. de Rescript. & Paulo Romano de Pensionibus cap. 6. n. 34. & cap. 7. n. 16. aliqui affirmant & desumunt ex c. cit. verbis, *Recipientes annuas pensiones seu beneficia alia*, quæ dictio eandem qualitatem denotat; ac proinde pensionem beneficium esse: quod etiam suadet ratio; cum pensio locò beneficii subrogetur: subrogatum autem sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur, arg. l. *Filia* 28. §. 1. ff. de *Condit. & demonstr.* Ita isti

Sed contra non obscuram declarationem Juris, pensionem beneficio opponentis c. *Quamvis* 4. de Prab. & dignit. in 6. ibi, *Non in Pensione, sed in Beneficio volumus providere*, & in decreto Trident. Sess. 21. cap. 2. de Res. clericum beneficium

beneficium, non etiam pensionem, obtinente ad Ordines sacros admittentis.

9. Unde, istam beneficii nomine comprehendit, cum *Franco in c. cit. n. 2.* Panormit. *in c. Ad audientiam cit. n. 2.* Garcia de Benef. *p. 1. cap. 5. n. 3.* Gonzalez in Reg. *8. gloss. 5. §. 5. pr.* & Flaminio de Resignat. *Lib. 1. q. 10. n. 69.* ceteri DD. passim negant & persuadet ratio; quia beneficium suâ naturâ perpetuum est, & spiritualitatem in officio spirituali fundatam habet: pensio verò ferè ad tempus, & aliquando aliò quàm spiritualis officii intuitu conceditur; ac proinde ejus spiritualitas, non tam in Officii, quàm in personâ spiritualis qualitate fundatur: & licet ex Pii V. *Constitutione, à cit. Garcia n. 17.* relatâ, annexam habeat Officii B. M. V. recitandi obligationem, ea tamen Constitutio non ubique usu est recepta, teste Lessio *Lib. 2. de I. & I. cap. 35. n. 129.* Unde *c. Ad audientiam cit.* expressa dictione *Alia* similis qualitas non denotatur ferè, sicut ea non significatur verbis, *Ducebantur alii duo nequam cum eo, Lucæ cap. 23. v. 32.* quòd ferè, sicut sacro hòc, sic & illò canonici Juris textu dictionis ampliationem & similis qualitatibus denotationem materia subjecta non admittat, ut *in c. cit. Felinus n. 2.* observat.

Ex eo etiam; quòd pensio subrogatur beneficio, eam beneficium esse æquè parùm inferitur, quàm ex ejusmodi subrogatione *cit. cap. 2.* expressa patrimonium beneficii naturam assumat; quia, sicut patrimonium, sic & pensio beneficio tantùm subrogatur quoad alimenta, quæ clerico aut sacris initiato præbet, Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 11. §. 1. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 7.*

10. Excipiendus tamen est casus, quòd pinguis beneficii fructibus perpetuò detracta portio clerico in titulum, vg. per-

petuâ vicariâ vel commendâ concedetur; hujusmodi enim portionem propter spirituale Officium percipiendi jus hòc ipsò; quòd perpetuum & autoritate Ecclesiastica institutum sit, verè ac propriè dictum beneficium esse, cum *cit. Garcia n. 164.* rectè advertit Vallens. *cit. Tit. 1. n. 2.*

Pensiones beneficiis imponi à summo Pontifice posse, non facile quis auficiari; propter plenissimam de beneficiis cæterisque juribus Ecclesiasticis disponendi potestatem ipsi competentem, *c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 1. Ut live pend. et si,* ut illarum etiam his ab ipso facta impositio honesta sit, justa causa exigatur, semperque intervenisse in dubio præsumatur: & quando ejus beneficio impositâ & alicui assignatâ causa non vera, sed existimata tantùm fuit, ejus concessio pro nulla à DD. passim habeatur ex præsumptione voluntatis seu consensûs, tali casu in eo deficientis. Casu etiam, quò ab eo beneficium pensionis onere sine omni causa & scienter gravaretur, ad ejus concessâ revocationem obligaretur ipse, & illam sibi ita assignatam retinere, qui eam obtinet, salvâ conscientia vix posset, saltem si esset laicus, & pro ea nullum officium & obsequium præstaret: ferè sicut, qui ab oeconomò res domini malè dispensari & dissipari scit, ea quæ ab illo sine justa causa accepit, restituere teneret; quia Papa beneficiorum cæterorumque jurium Ecclesiasticorum non dominus, sed administrator tantùm ac dispensator constitutus est à Christo, ejusmodi dissipationem ratum non habente, *cit. Lessius cap. 34. n. 204. Vasquez Opusc. de Benef. p. 2. §. 3. dub. 21. à n. 68.* Vallens. *de Benef. Lib. 4. Tit. 2. n. 1.* & alii apud *cit. Garciam n. 277.*

An eas beneficiis imponere de Jure valeat

II.

12.

13.

valeat Episcopus, dubium est. Et quidem, pro bono pacis & concordia duorum, super beneficio litigantium, alteri lite cedenti pensionem, sive illius fructuum portionem assignari ab Episcopo posse, satis receptum & proditum est *c. Nisi essent 21. de Prab. & dignit.*

Extra hunc casum autem eas beneficiis imponendi potestatem Episcopo negat Granutius apud *cit.* Garciam *n. 297. arg. Rubrica & textus c. Unici cit.* Sed contra communem sententiam RR. cum Felino *in c. Ad audientiam cit. n. 2.* Gigante *de Pens. q. 6. à n. 2.* Garcia *l. cit. & Gonzalez cit. gloss. 5. §. 5. à n. 27.* eas, saltem ad beneficiati vitam, cum capituli sui consensu imponendi potestatem Episcopo passim adstruentium ex justa & rationabili causa, Ecclesie utilitatem concernente, v.g. propter merita aut ministerium Ecclesie exhibitum vel exhibendum: ad sustentationem parochi vel alterius clerici, propter senium, infirmitatem &c. amplius servire non valentis & parochiali vel alteri beneficio renuntiantis, aut, unde vivat, non habentis: pro subsidio pauperum scholarium: pro sublevanda necessitate egentium vel alio usu pio: quod *cit.* DD. desumunt ex *c. Nisi cit. & c. Extirpanda 30. de Prab. & dignit.* cuius §. *Qui verò Episcopis solum* prohibetur; ne pensio designetur *In fraudem*, ex quo verbo Panormit. *in c. cit. n. 7.* infert, cessante fraude, posse ab Episcopo ex proventibus unius beneficii constitui aliud, vel etiam pensionem designari. Unde Rubrica cum textu in contrarium allegato exaudienda est de diminutione, quæ fit in fraudem, vel sine justa causa, vel à collatore Episcopo inferiore,

Sed, etsi hæc sententia communis & teste Fagnano *in c. Nisi cit. n. 28.* receptissima sit: non minus tamen com-

muni DD. calculò receptum est Primò invalidam esse pensionem, quam Episcopus imponit sine justa causa: camque, si justa causa non exprimitur, aut aliunde non appareat, beneficio in fraudem impositam præsumi, præsertim, si alicui beneficii incapaci constituta esset, *cit.* Garcias *n. 324.* Vallens. *n. 5.* & Fagnanus *n. 15.* monentes, causam, si non appareat, allegandam & probandam; quòd generaliter nudæ assertioni eius, qui actum liberè & sine justa causa facere non potest, fides non habeatur, nisi de illius veritate constet, per ea, quæ *arg. l. Si foris 8. ff. de Castrensi prelo* tradit Mascardus *de Probat. conclus. 144. à n. 2.* Secundò, non posse ab Episcopo cum Capituli sui consensu beneficiis imponi pensiones applicandas mensæ suæ, vel capitulari; quia ita vel ipse vel capitulum autorizaret in factio proprio & suam utilitatem spectante, contra textum & Glossam *Clem. 2. de Reb. Extirp. alien.* Tertiò, pensiones debere esse moderatas, præsertim quæ beneficiis parochialibus imponuntur; ne, eorum redditibus nimium diminutis, viri docti & ad illa idonei à cura animarum & laboribus ad otium, & à parochiis ad pingues Canonicatus aspirent. Unde PP. Tridentini Ecclesie parochiali, cuius redditus annui summam centum ducatorum secundum verum annum valorem non excedunt, pensionem imponi veterunt *Sess. 24. cap. 13. V. Adbac. de Ref. &* cum summam illam excedunt, ea, pensione imposita, diminui non debet. Quin, Jure etiam communi spectatò, cum illa pensio imponitur, illa detracta redditus ad Rectoris sustentationem & onera superportanda sufficientes relinqui, est necessesse, *c. Extirpanda cit. pr.* cum unum ab-
tate discooperiri non debeat, ut aliud cooperiatur, *arg. c. Cum causam 36. de Prab. &*

Prab. & dignit. cit. Fagnanus n. 26. simili modò pensionibus onerari non debent dignitates, nisi de illa parte reddituum, quæ centum: & alia beneficia simplicia, nisi de ea, quæ 24. ducatorum summam excedit, Flamin. *de Resignat. Lib. 6. q. 2. à n. 28. & cit.* Valenl. *Tit. 3. n. 8.* Quarto, easdem pensiones, licet à Papa in quacunq; quantitate constitui valeant, & ultra dimidiam fructuum partem, imò etiam ad redditus incertos & distributiones extendi: ab Episcopis tamen impositas tertiam partem fructuum beneficialium excedere non debere: & si excedant vel distributiones comprehendant, iustas non censeferi, advertunt *cit.* Vallenf. n. 13. Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 7. n. 30.* & alii apud Pirthing *ad hanc Rubr. n. 14.*

17. Majus dubium & controversia est, an Episcopus imponere valeat pensionem solvendam ad vitam Pensionarii sive ejus, cui debet solvi. Convenit inter DD. hujusmodi impositionem Episcopo non permissam ex causa resignationis, quæ fit in favorem; quia hanc in Episcopi manibus fieri non posse, patet ex dictis *Lib. 1. Tit. 9. n. 63.* Et probabilius etiam ex causa permutationis beneficiorum, habentium redditus inæquales, ut infra *Tit. 19. n. 33.* statuetur.

Quare dubium procedit de pensionibus aliis & præcipuè de ea, quæ imponitur propter bonum pacis & concordia, & quæ sibi assignatà Pensionarius lite cedit; nam etiam hanc ab Episcopo impositam ultra solventis sive beneficium retinentis vitam extendi non posse, cum Ant. de Butrio *in c. Audivimus cit. n. 2. cit.* Garcia n. 334. Flaminio & aliis *in s. Nisi cit.* docent Barbosa n. 8. & Fagnanus n. 40. eâ persuasi ratione; quòd Episcopus de Jure pensionem imponere

non valeat ipsi beneficio, sed soli beneficiato ex illius fructibus solvendam, ex clara decisione *c. cit.* quâ Innocentius III. ex ejusmodi causa non Prioratum, sed Prioris duntaxat personam voluit oneratum. Equè perspicui in re hac sunt textus *c. Veniens 8. de Transact. & c. Prohibemus 7. de Censibus*: vi quorum prioris sine Sedis Apostolicæ autoritate facta transactio de rebus Ecclesiæ ad successorem non transit: posteriori relatò Concilii Lateranensis decretò cavetur; nè novus census seu pensio Ecclesiis imponatur, aut vetus augeatur.

Nihilominus, pensiones ultra solventis & ad Pensionarii vitam se extendentes beneficiis imponendi potestatem Episcopis vi Consuetudinis, imò de Jure etiam, in quibusdam casibus competere, cum *cit.* Gambara *Lib. 6. q. 11. n. 77. Gigante 9. 85. n. 11. Redoano de Simonia p. 2. cap. 4. n. 14. Suarez de Simonia cap. 51. n. 18.* & aliis sustinent Palao *Tract. 13. disp. 1. p. 11. §. 6. n. 1.* & Franc. Leo *cit. cap. 7. n. 28.* idq; non obscure supponi aut insinuari volunt *c. De cetero 5. de Transact. & c. Audivimus 3. de Colluf. deteg.* quorum textuum prioris pensionem, per transactionem sine autoritate Episcopi impositam ultra solventis vitam extendi, negatur. Unde à contrario inferunt istius vitam excedere posse, quæ Episcopali autoritate est constituta, *Glossa fin. in c. De cetero cit.* & ibi Panormit. n. 2. posteriori, dum pensio post beneficiati obitum Pensionario solvenda propter solam fraudem, in ea constituenda admissam, rejicitur, eam quæ absque fraude & Episcopali autoritate constituta est, solvendam supponitur, Ant. de Butr. apud Barbosam *in c. Audivimus cit. n. 7.*

Neque cum his pugnant textus in contrarium allati. Primus; quia eò non

C c agitur

agitur de pensione, imposita auctoritate Episcopi, sed arbitrorum vel iudicum delegatorum, pensiones ad successorem transeuntes imponere non valentium; ne præjudicent Episcopo, qui ita beneficia conferre non potest sine diminutione, Suarez *l. cit.* & Laiman *cit. cap. 18. n. 3.* Reliqui duo; quia priori novi census eorumque auctores non ad vitam duntaxat pensionarii, sed perpetuo duraturi imponi prohibentur, ut *ibi* notat huic nostræ Opinioni contrarius Barbosa *n. 2.* posteriori verò non agitur de pensione solvenda ex beneficio, sed de transactione super decimarum remissione, & quidem perpetuo duratura: ad cuius valorem Apostolicam auctoritatem Jure exigere, Suarez *cit. n. 18.* & ex DD. *cit.* alii haud ægrè concedunt.

19. Tria tamen hoc loco probè notanda sunt. Primum est; quòd ab Episcopo beneficium conferri non possit sub pacto & conditione pensionis alteri solvendæ; cum enim omne pactum omnisque modus, qui Jure non inest, beneficii collationi adjectus hanc Simoniacam reddat, *can. Quam pio 1. q. 2. § c. fin. de Pactis*, etiam sub ejusmodi conditione, cum Jure non inest, facta à Simonia labe non esset immunis, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 100. art. 4. in fine* & Panormit. *in c. Unic. hic n. 14.* & aliis advertit Fagnanus *in c. Nisi cit. n. 5. § 18.* Alterum est, pensionis reservationem, ut à Simonia non labe tantùm, sed periculo quoque & suspitione quàm remotissima sit, non, ut aliquando solet, in ipsa beneficii, de cujus fructibus assignatur, collatione: sed ante vel post istam faciendam præsertim, si ex ejus reservatione aliquid utilitatis etiam indirectè tantùm redundaret in reservantem, ut cum Laiman *cit. cap. 18. n. 5.* monet

20. Pirrhing *hic n. 18.* Postremùm; quòd

pensiones, cum ab Episcopo & quocunque alio, Papà inferiore, etiam ob pacis & concordia bonum constituuntur, non à pactione seu conventionione partium litigantium initium sumere, sed ab arbitrio seu jussu ipsius Episcopi procedere oportere, per *c. Nisi cit.* verba, *Non quidem ex pactione partium, sed ex jussu iudicum*; ac proinde eos, qui de pensione prius inter se conveniunt, & postea adeunt iudicem, ut auctoritatem suam interponat, eamque ratam habeat, de Simonia labe reddi suspectos, *cit. Gracianus n. 340.* & Fagnanus *n. 5.* Quod etsi omnino verum sit in pensione merè temporali, hoc est, cum lite cedenti ad fructuum portionem percipiendam conferretur jus non annexum officio & titulo spirituali: casu tamen, quò pensio spiritualis sive hujusmodi titulo annexa cum spiritualis officii onere alicui constituitur, eam à prævia & in superioris approbationem relata conventionione partium Simonia labe non infici, cum *cit.* Suarez *n. 20.* rectè advertunt *cit.* Laiman *n. 3.* & Palao *n. 6.* quòd tali casu agatur de spirituali cedendo pro spirituali; cui accessorie annexum temporale non obest sicut prævius & in superioris approbationem relatus tractatus & conventio beneficiorum permutatione, istam à superiore approbatam Simoniacam non reddit.

Porro, licet pensionis temporalis capax etiam laicus sit, eique propter merita & servitia Ecclesie exhibitæ vel exhibenda, non raro assignetur, ab alio tamen ei constitui non potest, quam à summo Pontifice; quòd fructus seu reddituum temporalium portionem percipiendi jus, spiritualis officii titulo annexum, ab isto separare & prophanum reddere solus possit. Ecclesiasticæ autem pensionis usque adeò capax laicus non est, ut ab

Ut ab alio, quàm ab eodem Papa de suæ potestatis Plenitudine ipsi facta concessio invalida sit: quantumvis post eam obtentam clericus efficiatur; quia locò beneficii assignatur cum obligatione recitandi officii parvum B. M. V. ac proinde in statu & officio spiritali fundatur, *Garcias cit. cap. 5. n. 15. Azor p. 2. Instit. lib. 8. cap. 7. q. 3. & Palao cit. disp. 1. p. 11. §. 3. n. 1.*

24. Quin ex ipsis etiam clericis Ecclesiastica pensionis obtinendæ modernò Jure & Curie Romanæ stylo, juxta dicta *Lib. 1. tit. 14. n. 12.* capax nemo est: nisi 14. ætatis annum inchoarit, & habeat cæteras qualitates ad beneficium obtinendum requisitas, ut à S. Congreg. Cardd. Interpp. decisum & ratio est; quòd pensio sit locò beneficii & huic subrogatur: subrogatum autem sapiat naturam, & ferè exigat qualitates ejus, cui subrogatur, *citt. Garcias n. 129. Lessius n. 203. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 60. n. 78.* Quæ causa est, cur ad beneficium absolutè & generaliter dispensatus etiam ad pensionem Ecclesiasticam dispensatus censeatur; quia inhabilitas ad hujusmodi pensionem in inhabilitate ad beneficium fundatur; ac proinde, sublata inhabilitate ad istud, etiam ad illam habilis quis redditur, *citt. Garcias n. 15.* excipiens casum, quòd quis specialiter ad certum beneficium dispensatus esset.

25. Ut autem ex alieno beneficio solvenda pensio etiam clerico constituatur, necessarius de Jure est consensus beneficiati, sive clerici illud obtinentis, usque ad eò; ut sine eo ab Episcopo: imò summo Pontifice ipsomet & Motu etiam proprio beneficio imposita valida non sit, per *Reg. Cancell. Apostol. 43.* nisi cum istius Regulæ derogatione fiat, *citt. Azor cap. 8. q. 6. & Palao §. 5. n. 1.* quòd

Papa, licet cujuscunque beneficii fructuum portionem alteri assignare ex justa causa liberè valeat, id tamen aliter, quàm ipse præscripsit, facere velle, si non exprimat, nunquam præsumatur.

Neque huic adversatur; quòd pensio reservari valeat de fructibus beneficii vacantis; quia, ut tali etiam casu legitimè reservetur, ei defensorem, quòd beneficiati locò consentiat, constituendum, cum *citt. DD.* satis probabiliter sustinet *citt. Pirrhing n. 15.* quòd pensionis impositio, licet alienatio propriè non sit, ejus tamen speciem referat & naturam imitetur; ac proinde, sicut rerum Ecclesiæ vacantis alienatio, sic etiam ipsa exigat defensorem, qui in portionis fructuum detractionem consentiat præsertim, cum *Reg. cit.* ad eam beneficiati vel procuratoris aut custodis ipsius vacantis consensus indistinctè exigatur.

Dubium est, an, cum pensio beneficio patronato imponitur, patroni saltem laici consensus exigatur. Et Papæ quidem hunc necessarium non esse, satis liquet; quòd plenissimæ ejus de beneficiis disponendi potestati quæcunque etiam ejusmodi patronatus beneficia subijciantur. Quod etsi verissimum sit, ex curie tamen Romanæ stylo Ecclesiæ vel beneficio, ejusmodi patronatui ex fundatione, constructione vel dotatione obnoxio, pensio imponi ab ipso non solet, quin illi expressè derogetur ad eò; ut pensionis alicui reservatæ literæ, ejusmodi patronatus mentionem & derogationem non continentes, pro subreptitiis habeantur; quòd Papa beneficium patronatum pensione onerandi voluntatem, si non exprimat, habere non præsumatur; ne laici à piis foundationibus facilè absterreantur, *Covarruv. Practic. cap. 36. n. 10. citt. Gigas q. 24. n. 4. Garcias n. 361. & Valent. Tit. 4. n. 6.*

C c 2

Præte-

Præterea, ut ejusdem reservationis literæ subreptitiæ non sint, facienda in his est expressa mentio pensionis in eodem beneficio alteri jam prius constitutæ; quòd aliàs Papa in novæ reservationem ex errore consentisse præsumatur; cum verisimile non sit, eum, si beneficium aliquò jam gravatum scivisset, in novæ impositionem simpliciter, aut in tanta quantitate faciendam, fuisse consenturum, *citt. Gambarus Lib. 6. n. 162. Azor, cap. 9. q. 3. & Pirrhing n. 17.*

Episcopo pensionem ejusmodi beneficium imponere volenti patroni consensu opus non esse, cum *citt. Gambaro à n. 64. & Gigante q. 23. n. 9.* aliqui volunt apud *citt. Garciam n. 357.* quòd, e-
jus consensum requirendum, nullò jure sit expressum, neque appareat ratio; cum pensionis per ipsum factæ impositione patroni juribus non derogetur. Sed hæc ratio rite ponderata in pensione beneficiato non etiam beneficio imposta & successorem onerante procedit; cum enim beneficium, fructibus pensionis reservatione diminutis, minus æstimabile, & ad id præsentatus minus gratus reddatur, reservatio etiam in patroni præjudicium cedit. Quare, licet ad moderatæ & cum beneficiato eà gravato finiendæ pensionis reservationem non exigatur, necessarius tamen patroni consensus erit ad pensionem, quæ transitura est ad successorem: etsi, cum in eam consentire irrationabiliter renuit, Ecclesiæ magnâ utilitate exigente, pensio beneficio imponi ab Episcopo nihilominus possit, *citt. Garcias n. 360. Vallens. n. 6. Laiman n. 4. & Pirrhing n. 16.*

27. Pensionarii, Ecclesiasticam pensionem obtinentis, obligatio præcipua hodie est recitatio Officii parvi B.M. Virg. imposta à Pio V. apud *citt. Garciam n. 17.* adeò; ut istam omittens perinde, ut

beneficiatus horas Canonicas non recitans, fructus non faciat suos, *citt. Garcias n. 67. & Vallens. n. 2.* nisi horas illas sive Officium magnum ratione facti Ordinis vel beneficii recitaret; quia Pen-
pæ, parvi recitationem imponentis, mens & intentio non fuit Pensionarii majorem obligationem imponere: sed potius diminuere eam, quam habent alii, ratione beneficii vel SS. Ordinum ad horas Canonicas obligati, Suarez *Lib. 4. de Horis Canon. cap. 22. n. 6. & Palao tract. 7. disp. 2. p. 1. §. 2. n. 6.*

Idem Pensionarius obligatur ad deferendum habitum & tonsuram Clericalem, ex *citt. Constit. Pii V. & aliâ Sixti V.* apud *citt. Garciam à n. 10.* hodie tamen ex istius summi Pontificis *Constitutione* ab eodem allegata non nisi pensionis, quas obtinet, simul sumptæ excedant summam 60. ducatorum auri de Camera: & non antè, quam pensiones percipere ceperit, vel per ipsum stent, quò minus eas percipiat, *Garcias cit. cap. 5. n. 13. & Palao cit. p. 11. §. 6. n. 3.*

Demum Pensionarius pro rata fructuum, quos percipit ex beneficio alieno, tenetur ad onera annexa beneficio, ex quo percipiuntur, v.g. ad subsidium Charitativum & collectas, quæ propter necessitatem vel aliam causam publicam beneficio ejusque, fructibus imponuntur. Ratio est; quia æquò difficilius beneficiato foret, si ex sui beneficii proventus per pensionem diminutis, illi annexa onera solus, & non eorum partem aliquam Pensionarius ferre deberet contra Regulam, *Qui sentit commodum, sentire etiam debet onus ei annexum,* quod est 77. in 6. *citt. Gambara Lib. 6. n. 207. Garcias n. 171. & Barbosa alleg. 64. n. 18.* & alii rectè excipientes calum, quò alicui ex speciali gratia Apostolica constituta

sicutæ esset pensio exempta & ab omni ejusmodi onere libera; hoc enim casu onera illa immingerent soli beneficiato: qui, ne ea iustè difficiliora sint, pensio-

nes exemptas in minori quantitate constitui consuevisse, advertunt *citr.* Azor *q. 2. & Pirrhing n. 19.*



TITVLVS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

E Prælatorum administratio in Ecclesiarum damnum Divinique cultûs detrimentum facile cedat, non solum beneficiorum fructus sive proventus diminui: sed etiam, & multò magis, res seu bona temporalia, ex quibus illi annuatim proveniunt, & Ecclesiæ conservantur atque ornantur, alienari sacris Canonibus prohibentur.

- 6. *Conditionis nomine c. Nulli s. non Contractus,*
- 7. *Vel ultima voluntas Conditionata denotatur:*
- 8. *Neque res eadè ei Conditionis,*
- 9. *Vel Conductionis nomina substituantur.*
- 10. *Id ex c. cit. textu expungentium erudita:*
- 11. *Sed ipsa quoque vera Opinio non est.*
- 12. *Verius denotat Passionem de re Ecclesie immobili,*
- 13. *Prohibitam, quoties ei est præjudiciosa.*

ARTICVLVS I.

De acceptione nominis Ecclesiæ & Alienationis,

SUMMARIUM.

- 1. *Nomine Ecclesia quævis loca Sacra & Religiosa:*
- 2. *Alienationis autem Donatio, venditio, Permutatio,*
- 3. *Infendatio, Emphyteuticatio, Locatio,*
- 4. *Cessio litis, Transactio, Compromissum,*
- 5. *Unio & Conditio veniunt.*

Ecclesiæ nomen in hac ipsi perquam favorabili materia non accipitur strictè, sed latè; ut comprehendat loca, non solum Sacra sive ædes per ceremonias Ecclesiasticas supremæ Divini Numinis Majestati, in ipsius honorem cultumque & BB. Cœlitum venerationem ac memoriam per Sacrificia, aliæque Officia Divina celebrandam, dedicata, ut sunt non solum Tempia, Capellæ, Oratoria & similia loca, consecratione vel benedictione affecta: sed loca etiam Pia & Religiosa, sive quæcunque

Cc 3